



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Nicodemi Frischlini Alemanni Dido

Frischlin, Nicodemus

Tvbingae, 1581

VD16 F 2926

urn:nbn:de:hbz:466:1-12502




L. VI
9

Th. 5859.







NICODEMI FRISCH,

lini Alemanni,

DIDO,

TRAGOEDIA

NOVA, EX QVARTO

LIBRO VIRGILIANÆ ÆNEIDOS:

in quo ardentissimus amor Di-

donis in Aeneam, & Tragi-

cus eiusdem exitus, de-

scribitur.

ACCESSIT LYDORVM CIR-

censum, qui proximo Maio celebra-

ti sunt Stuccardiae, de-


scriptio.



TVBINGÆ.

Apud Alexandrum Hoekium

CID. 12. XXCI.



NICODEMI FRISCH

huiusmodi

LIBRO

RAGGEDIA

OPUSCULI

DE

...

...

...

...

...

...

...

...



...

...

...

RELSN


opuscul

NOBILI, HO-

NESTO, ET ERVDITO IV,

ueni, D. Othoni Rosacranzio, nobilis ac

strenui Viri Georgij filio, S. P. D. Nico-
demus Frischlinus, P. L. &c.

 Mnes Virgilianæ Aene-
idis libros esse Tragicos,
aut certè instar Tragœ-
diarum, nemo ignorat,
qui in hoc autore paul-
lò diligentius est versa-
tus. Nam quòd suis constant Dialogis-
mis & colloquijs, quòd personis subli-
mibus, quòd verbis magnificis, quòd
deniq; suis quibusdam actibus, id verò
tam est notum, vt ne pueri quidem ne-
sciant. Sed & Tragicas esse catastro-
phas singulorum librorum, ex his, quæ
sequuntur, manifestum fiet omnibus.
Nam etsi primus liber Comœdiæ vide-
tur similior, quàm Tragœdiæ, (si ad læ-
tam catastrophem respicias) tamen in
his omnibus tristes sunt magnarum per-
sonarum

A ij sonarum

P R A E F A T I O :

sonarum exitus. Igitur secundus liber
in fine mortem Creusæ continet: tertius
Anchisæ, quartus Didonis, quintus Pa-
linuri, sextus interitum Marcelli, septi-
mus ante Catalogum, recitat eadem
Galesi & Almonis, octauus interitum
Caci, nonus præter occisionem Nisi &
Euryali, etiam circa finem Numani ca-
sû exponit. Decimus verò morte Me-
zentij, vndecimus nece Camillæ, duo-
decimus cæde Turni finitur. Hæc co-
gitatio eò me impulit, nobilissime Ro-
secranzi, vt de Virgilians Aeneide in
Tragœdias redigenda iam olim medi-
tari mecum cœperim. Nam eodem mo-
do Euripidem & Sophoclem, suas ex
Homero confecisse Tragœdias animad-
verto, quo Cæcilius, Actius, Ennius, &
alij sua cõposuerunt apud Latinos Dra-
mata. Nec dubito, quin hisce initijs co-
thurnatus Seneca, ad Latinam Tragœdi-
am scribendâ nunc olim prodierit. Quo-
rum ego exemplum imitari constituo, &
quidẽ multò, quàm illi fecerunt, libertus:
dum

PRÆFATIO

hunc istud consequar, quod quaerito.
Volo enim iuventutem exercere in mea
schola Poëtica, vt primò ediscant Vir-
gilij phrasin, & genus illud dicēdi gran-
diloquum, ac numeris vincitum. Deinde
volo illos hæc eadem, quæ edidicerunt,
in scena recitare: vt non solùm memo-
ria illorum crebro vsu acuatur: sed etiã
decori gestus et apta pronuntiatio con-
doceatur. Volo denique animũ accendi
& excitari in tenera ætate, vt aliquan-
do viri facti, promptiũs & cordatiũs co-
ram alijs, præsertim in coctibus & con-
uentibz publicis, loquantur. Hoc animi
mei propositum nulli bono ac sapienti
displiciturum esse arbitror. Primam ve-
rò nunc edo è quarto libro Tragœdiam,
in quo explicando, & paraphrasi red-
dendo, nunc versor. Vbi videro hanc
operam meam viris bonis probari; &
studiosæ iuventuti nõ esse inutilem: idẽ
præstabo in cæteris omnibus, q̃ in hoc
quarto libro præstiti. Cæterũ, cur tuo
potissimũ nomini has Tragœdiarum
primitias

PRÆFATIO.

primitias voluerim dedicare, causæ sunt
 variæ & multiplicēs. Primùm enim, cum
 tu sis ex illorum grege, qui me Cæsaris
 cōmentarios de bello Gallico expli-
 cantem audiunt: volo hunc ingenij mei
 qualem cumq; foetum, mei in te, tuiq; si-
 miles, animi esse pignus, & sempiternū
 monumētum. Nam meos ego auditores
 & amo & diligo: vt qui non modò illo-
 rū linguas eleganti oratione, ex Cæsaris
 & Virgilij libris, sed etiam vitam &
 mores eorundem, propositis exemplis
 virtutum ex iisdem, informare studeo.
 Deinde, cum tu sis ortu nobili satus, &
 antiquis maiorū imaginibus niteas, vo-
 lo hanc προσφώνησιν meæ in te, tuiq; si-
 miles, obseruantia publicum esse testi-
 monium. Omnes enim, qui genus suum
 præclarè factis, virtutūq; & optimarū
 artium & linguarū studio condecorant,
 ex animo colo, veneror, & ab omnibus
 bonis colī atq; obseruari volo & iubeo.
 Fuere tales apud nos, supericribus an-
 nis, tui populares, Bionones: verè no-
 biles

P R A E F A T I O :

biles adolescentes : & præceptor illorū
ipse etiam nobilis , ac vir apprimè do-
ctus : quorū memoriā nulla dies animo
meo vnquam eximet. Fuit talis & Fri-
sius : næ doctus & modestus è nobilitate
Danica iuuenis : cuius ego ex ore
nunquam culpam audiui orationem
promanare. Accedit huc, quod Patrem
tu habes GEORGIVM ROSÆCRANTZIVM:
virū sinceræ religionis studiosissimū,
& magnum pietate, consilio, doctrina, re-
rumq; vsu: lumen totius Daniæ, & Re-
giæ Maiestati à secretioribus regni cō-
silijs: Huius te vestigijs insistere, & op-
timarum virtutum studio ad eundē sco-
pum, quem ille attigit , tam diligenter
collimare, iure optimo omnes boni læ-
tantur: tibiq; prosperū negociorum suc-
cessum, & inoffensæ vitæ curriculum ex
animo mecum optant. Accipias igitur
æquo animo, quidquid hoc est charta-
cei muneris : & libri huius pretium non
ex mole, sed ex opere: studium verò au-
toris ex voluntate, non ex facto, iudica.

A iiij

DEVS

PRÆFATIO:

DEVS te, vnà cum præceptore tuo, N^{ro}
COLAO FREICAGIO HADELENSI, viro pie-
tatis, religionis, & omnium virtutum,
seruantissimo, multaq; eruditione præ-
stantissimo, tueatur ac protegat: saluo-
q; & incolumes ambos in patriam redur-
cat: & omnia coepta vestra dirigat ad no-
minis sui gloriam: ad Ecclesiæ
Rei q; Publ. utilitatem: ad
familiæ ornamentum: ad
salutem animarum
sempiter-
nam.

Tubingæ, 26. Iunij. Anno 1681.

PROSONAE
INTERLOQVENTES.

DIDO, Regina Carthagenensium.

ANNA, Soror Didonis.

VENVS, Dea.

IVNO, Dea.

CHORVS Phenissarum.

IARBAS, Rex Numidiae.

IVPITER, Deus.

MERCVRIVS, Deus.

AENEAS, Rex Troianorum.

ACTVS

ACTVS PRIMVS.
DIDO, ANNA.

REGINA caeli, Iuno, dominatrix
poli:
Quod vulnus alo? quo seuo
amore saucior?
Quo carpor igni? quo seror ani
mi impetu?

Non me quies nocturna, non altus sopor
Soluere curis. Nam mihi, seu lampade
Terras Apollinea aurum Solis iubar
Lustrat: nigrae nox polum caligine
Inuoluit: humentemue amictum roscidis
Aurora bigis caelitus dimouerit:
Semper animo virtus viri: semperq; honos
Gentis recurvat: semper infixi obuiant
Vultus & ora, nec animo verba excidunt.
Sed en, adest soror. tacebon? an eloquar.
O Anna soror: insonnia vt me territant?
Quis hic nouus successit hospes sedibus?
Quem se ferens vultu virum? quam pectore
Forti, & alacris armis. Venere natum Dea
Haud dubito. Degen: rem animum arguit timor.
Sed o quibus iactatus ille est casibus?
Quae bella, quas clades canebat? Si mihi
Non ita animo fixum hoc, & immotum foret:
Ne cui velim annecti iugali vinculo:
Postquam Sichei morte primus me viri

Amor

Amor sefellit: si maritalis tori
Non ait hac tædæq; pertesum foret:
Huic so san vni potuerim succumbere
Culpe. O soror (fatēbor hoc enim) post coniugis
Fatum Sichæi, & triste parricidium,
Spasusq; coniugis necē patrios lares,
Hic solus inflexit animum, ac sensum impulit:
Agnosco vet. ris flammæ aliqua vestigia.
Sed mihi prius vel terra dehiscat infima,
Vel Iuppiter adigat me ad vmbas fulmine,
Vmbas nigras Erebi, profundum in Tartarum:
Quam te pudor ledam, aut modum violem tuam
Qui primus abstulit amores meos, habeat sibi,
Seruetq; tumulo AN. Quid iuuat te perpetim
Lacrymare mortuum? quid animum questibus
Grauas tuum soror? an sepultos iudicas
Curæ manes, siue nugas, an secus?
Quid solane deinceps perennem lugubri
Vultu iuuentam transiges: nec præmia
Veneris: nec vllos nōris ex te liberos?
Eslo, procorum nullus antè flectere
Ægram potuerit: non Tyro, non Africa
Despectus ille Numidæ Iarbas: non duces
Alij, triumphique quos honorant Punici:
Etiāne placito amori huic obstes soror?
DI. Sententia est. AN. annon tibi in mentem venit,
Quorum solo confederis, qui limites:
Hinc Numidia infrænis, & inhostita Syrtium
Vada: hinc siti deserta regio: hinc aspera
Getulia:

Getulīa: hinc latē furentes Mazages.

- DI. Pudor innocentem proteget: tutissimum
- Aduersus hostium arma propugnaculum.
- AN. Sepē pudor armis vincitur: saepe improbus
- Mortalium furor probam lēdit fidem.

Et vt hostium neminem habeas in his locis:

Non bella cogitas Tyro surgenti a:

Fratrisq; Pygmalionis atroces minas?

Equidem Deis reor auspiciis, & propitia
Iunone, eursum habuisse Phrygias hūc rates.

Quam tu dehinc urbem nouam? que surgere
Connubio tali videbis mœnia?

Quantis tuum se rebus attollet decus:

Si Punicas vrbes Phrygum arma protegant.

DI. Videre quod verum est loqui, modō Iupis
ter

Et Iuno, cui iugale curæ est vinculum,

Et Liber, & Ceres, benignè hic annuant.

AN. Nunc ergo, quod factū est opus, veniam Deis

Poste, & sacrum lita, & hospitibus indulgeas,

Causamq; nectas hic morandi longiūs,

Dum seua hyems pelago fremit, dum nubilus

Minatur Orion, & intractabile

Cœlum mari imminet: & Phrygum quassæ rates

Pelagi laborem perpeti non sustinent.

DI. Rectè mones, dubiamq; mentem spe foues

Certissima. AN. quin ergo adimus ocyus

Delubra, pacemq; ibi Deo um exquirimus.

VENVS

VENVS.

Ignara hominum mentes, dubie
Rerum: quid vota furem, quid
Delubra iuuant: quando mollis
Est flamma medullas interea:
Et tacitum sub pectore vulnus
Vixit? Dido vritur infelix
Totaq; vagatur Vrbe furens:
Vt cerua sagitta coniecta,
Quam pastor agens telis, inter
Cressa nemora incautam fixit:
Liquitq; volatile ferrum in ea
Nescius: illa fuga saltusq;
Syluasq; peragrat Dictæas:
Lateri lethalis arundo hæret.
Amor haustus totum hominem penetrat:
In vultus simul atq; ora reedit:
Nec placidam menti peruigili
Dat cura quietem. Cum venit
Furiosus amor: tranquilla fugit
Vita. En Regina modò Dido
Aeneam per media secum
Deducit mœnia: Sidonias
Monstrat eidem spectandas opes,
Vrbemq; paratam hospitio. Nunc
Labente die repetentem eadem
Conuiuia, & Iliacos iterum
Audire labores exposcit.

Anapestica

22

22

22

22

22

22

Interca

*Interea turres non surgunt:
Non arma iuuentus exercet:
Non propugnacula tuta parant:
Non littore portus effodiunt.
Opera interrupta omnia pendent,
Inzentesq; minz murorum,
Acquataq; machina sideribus.
In vulgus scilicet exempla
Manant Regum: utq; ducum lituos,
Sic mores sua castra sequuntur.*

IVNO, VENVS.

L Audem refertis egregiam, & amplissima
Spolia, Venus, tuq; & puer fallax tuus.
VE. Effare, quæ animi cura te remordet.
IV. Magni facinus, & non ven est memorabile,
Si fœmina vna malo duorum cœlitum
Vista est dolo. VE. non est dolus, cum fœmina
Virum, ducem cum duce suam coniungere.
IV. Animo malo pensatur, haud factò, dolus.
Nam me nihil fallit Venus te in cœnia
Nostra noua veritam, habuisse suspectas domos
Carthaginis. VE. nimum hostibus confidere
Dementia est. IV. sed quis modus tandem hic erit.
Aut quorsum opus tanto mihi certamine?
VE. Tu si remittas tuum odium, remittam ego
Animi mei omnem, Iuno, diffidentiam.
IV. Quin igitur eternam fidem paciscimur.
Habet quod omnimente petijsti Venus.

Ardet

Ardet mulier, amore seuo saucia:
Traxitq; virus per medullas ossium:
VE. Quid ergo censes nunc agendum? ediffere.
IV. Ambos eodem copulemus vinculo:
Et paribus auspicijs regamus Punicam
Teucramq; gentem: liceat Aeneae Phrygi
Seruire Tyrios, & tuae submittere
Dotale regnum hoc dexterae: liceat Venus.
VE. Quis talia, nisi forte demens, abnuat?
Quis lite tecum exoptet, aut armis velit
Contendere? modo fors sequatur prospera.
Sed dubia feror, an vnam Iuppiter
Esse velit hanc urbem his duabus gentibus:
Populosue misceri probet: num foedera
Iungi velit: tu cara coniux es Iouis,
Tibi fas precibus animum viri perquirere.
Perge, sequar. IV hic mecum dein fuerit labor.
At nunc quod instat, quodq; praesens est, Venus.
Quo possit effici modo, paucissimis
Docebo. VE. fare, commodissima quae via.
IV. Aduerte. Venatum misera Dido in nemus
Ire, & si nul Troianus Aeneas, parant:
Primos vbi extulerit diei crastini
Ortus Apollo, clariori ex aethere:
Totumq; radijs aërem lustrauerit.
His ego, nemora cum cinxerint indagine,
Subito ingruentem desuper, cum grandine,
Iubrem ciebo: & omne caelum murmure
Implebo: diffugient manus equestres vndiq;
Et nocte

Et nocte opacā contēgentur frondium
At Dido & Aeneas eandem protinus
Specum subibunt. Ad ro tum: & si mihi tuā
Certa hic voluntas, stabili eos connubio
Iungam: & tibi propriam dicabo istam nuptum:
Hymenaeus hic erit. quid? annuis, an secus?
VE. Annuo equidem, pulcrumq; rideo dolum.

CHORVS.

HIC dies lethi venit & malorum
Causa cunctorum: neq; enim monetur
Debita fama speciē Dido,
Impotens mentis, neq; nunc amorem
Ipsa furtiuum meditatatur, & iam
Coniugem Aeneam vocat: hac pudica
Voce prætexit malefana culpam.
Sed nefas istuc odiosa nescit
Fama per magnam Libyam tacere.
» Fama, qua non est aliud malum vllum
» Vssiam velocius: aut quod equè
» Mobili passu viget, atq; eundo
» Crescit. Hec primò graditur timore
» Parua: mox sese leuat altè in auras:
» Et solo incedens caput inter astra
» Condit, hanc tellus peperit, furore
» Acta, postremam Encelado sororem,
» Et citis alis pedibusq; monstrum
» Mobile, horrendum, cui quot nefando
» Corpore insunt (res mihi mira.) plura,

Tot patent subter vigilēs ocellī:	36
Tot sonant ora hic, simul & tot aures	37
Subrigit: noctu volat, & per umbram	38
Occulit sese: neq; lumina alto	39
Turpe declinat malè pigra somno:	40
Luce sed custos sedet aut supremo	41
Culmine, aut altis petit vsq; turres;	42
Tam tenax ficti simul atq; prauī,	43
Quam loquax veri: varioq; gaudens	44
Ore: quo gentem Libyæ repleuit:	
Lamq; & ad regem celeres Iarbanī	
Dirigit cūrsus, animūq; sauis	
Asperat diētis, & in ora fundit	
Hec virūm, venisse Phryga Iliensē	
Turpe pronatum, cui pulcra Dido	
Carā dignetur sociare lecti.	
Nunc diem inter se, potiore luxū	
Turpiter captos, Veneri vouere.	
Ecce rex amens animi, hoc amaro	
Stancio accensus, graditur, Iouemq;	
ante verbenas, mediōsq; diuos	
inuoat supplex manibus supinis.	

A C T V S II.

I A R B A S

PRŌ summe Iupiter, cui Maurusia
 Pictis toris epulata gens libat sacros
 tui honores, hæc vides? an te, pater,
 tam fulmen exeris, timemus impotem

B Nequicquid

Nequicquam? an animos teritant in arboribus
Ceci furores? nunquam inania murmura
Miscentur? en nostris vagata in finibus:
Que posuit exiguum modo urbem foemina
Cui litus hic arandum erat: cui nos loci
Leges dedimus: hac reppulit connubium
Nostrum: recepto in regna domino Troica.
Et nunc Paris hic, ab semiuir, cinctus grege
Effoeminato, molle caput Asia peplo
Ornatus, & flaua madentem verticem
Mitra coronatus, potitur foemina.
Nos quippe templis munera tuis mittimus:
Famamque inanem de in fouere cogimur.
Ego satus Hammon Ioue Iarbas negligor,
Cui nympha Gar amantis pia genitrix, patri
Qui templa centum condidi, & centum simul
Altaria posui: sacrauique vigilem
Ignem, Deum excubias: ubi solum perpetua
Pecudum natat cruore pingui, & limina
Varijs corollis emittent florentia.

IUPITER. MERCURIUS.

A Ge nate, vade, voca Notos, & labere
Pennis, ducemque Dardanum, Carthaginam
Qui nunc moratur, & datas fato Deum
Non respicit sedes Italiae: loquere ei,
Et dicta mea celeres per auras defer huic.
ME. Quid ergo, Iupiter supreme, huic imperasti
IV. illum haud mihi genitrix Venus pulcherrima,

nam bis Delasqum vindicaret & manu
alem futurum prodidit. ME: qualem virum
gitur fore hunc promisit? IV. Imperio grauent
qui regetur Italiam, genusq; à sanguine
tucru vetusto proderet: quiq; in vians
regum suarum duceret terre omnia
amata. ME. Ratam hæc habere vox debet fidens.
Si nulla tantarum mouebit gloria
erum, nec ipse sua laborem strenuum
pro laude molitur: patèrne filio
res Latinas inuidet? quidnam struit?
ga spe moratur in inimicis gentibus?
oc prolem Italicam, nec Latinam respicit
dem? Ergo nauiget, hæc rei summa, hic me
nuncius. ME. tuis ego imperijs pater
ere sum paratus, & nunc aurea
aria innecto pedibus, atq; hanc manam
gam capio: quò turbidum tranem aëra.

ÆNEAS, MERCVRIVS.

S.) Lucis alma parens Venus, tuq; ò bone
Cupido frater: quis potentem non amet
sceminam, tot regias que construit
nos, tot ampla que domorum culmina
atq; vel hic stellatus ensis iaspide,
atq; murice lena demissa è meis
erria, amorem huius scemina meret,
illa telas fecit, atq; hæc munera
ruit aure. Sed quis his est penniget,

Qui pedibus alatis repente hic adstitit?
Pauet animus: quid hic sibi velit, ME. tu, o bone,
Nunc alta fundamenta Punicæ locas
Carthaginis, pulcrâq; sedem vxorius
Struis? heu tuarum oblite rerum? heu immemor
Regni Latini. Rex Deorum, qui polum
Terramq; numine torquet, ipse me tibi
Demittat alto clari Olympi Vertice:
Ipsæ hæc iubet mandata ferre desuper,
Celeres per auras. quid struis? qua specteris
Hæc ocium terra Africæ: si nulla te
Rerum tuarum gloria mouet: nec super
Tua laborem laude molire, vt decet:
At filium surgentem, & heredis tui
Spem respice: cui regnum Italiae & Romula
Debentur arua. ÆN. Summe Iupiter pater,
Vbi sum? quid ago? vbi isthic homo est? euanescit
Tremo totus: arrecte comæ horrent: faucibus
Vox hæret: ardeo jugam capessere:
Dulcesq; terras has procul relinquere.
Sed quo furentem ambibo reginam meam
Affatu: & hic quæ prima sanam exordia?
Quid si vocem Mnesthea, Cloanthumq;, socios
Classem taciti vt aptent: Phrygasq; ad littora
Agant: parent arma, & nouandæ quæ rei
Sit caussa dissimulent? ego interea loci
Rumpi, viam tentem, modumq; dexterum:
Fandiq; tempus quaritem mollissimum.

Certe hæc potior est omnibus sententiis.

CHORVS.

AT Regina doli præscia perfidi,
Etiam tuta timens omnia: primaq;
Motus excipit, & sauit inops sui,
Qualis Baccha sacris excita conscijs,
Audito stimulant quam Trieterica
Lenæo Orgia: quam noctiuagus vocal
Clamor, namq; loquax fama ita detulit,
Armari Phrygias littoribus rates,
Et cum sum pelago clam repararier.
Heu, quot lacrymas illa dies dabit?
Nam quid non scelerum fœdus amor parit?
Quid non ille mali conficit? heu nefas,
Hec decem furor hic tetricus impulit,
Natos ut manibus perderet impijs.
Hæc Phædræ stimulos addidit asperos:
Invenitq; innocuum ad stupra lacessere
Priuignum, ac thalami rumpere fœdera
Hæc Argis Helenam nequiter extulit,
Ut lectum peteret turpis adulteri:
Et toti Phrygiæ damna daret solo.
Nam quod Dardanium corruit Ilium,
Quod tota in cineres Troia repens ijt:
Quod letho Priamus rex cecidit Phrygum;
Quod victoris heri serua Hecube torum
Dedit: quod iugulum triste Polyxena
Commisit rigidis ensibus hostium:

B iiij

Hoc

Hoc foede vitium nemp̄e libidinē.
Hec merces Veneri debita reprobat.
Hic ignis sacer est: credite saucijs.
Hec est flamma potens, heu nimium potens.
Quā tellus liquido cingitur aëre:
Quā formosa polo sidera promicant.
Illic regna tenet feruidus ales hic.
Terrenae pecudes, equorum genus,
Et pictae volucres, omne adeo genus,
Intenta excipiunt tela Cupidinis:
Idem quippe seris est amor omnibus.
Hos sentit stimulos dente ferox aper,
Hos tigres rigidae: hos indomitus leo.
Dentes exacuit porca Sabellica:
Quando hoc igne furens pestifero subacta.
Quid lynces variae? quid rabidi canes?
Infreniq; lupi? nonne vides equos,
Vt toti trepident, quando odor attingit
Nares? non ibi eos freno virum, neq;
Rupes, non scopulia non vaga flumina
Non montes retinent. Scilicet hic calor
Ante omnes agitat verberans equas.
Hos mentem ipsa Venus largiter indidit.
Quando Parniades distulerant rote
Glaucae membra sui hoc axe Cupidinis:
Illos ducit amor trans fera Gargara:
Trans longum Ascanium: hac vi superant iugiter
Tranant flumina. Quid plura canam? Furor
Vincit regifice limina coniugis.

ACTV B

ACTVS TERTIVS

DIDO, ÆNEAS.

Etiam nefas hoc posse dissimulari, homo
 Perfide, putasti; quid tibi meis decedere
 Tu cogitasti sedibus? nec te meus
 Amor, neq; data dextra quondam, nec tua
 Regina crudeli tenet te funere
 Moritura? quin etiam maligno sidere
 Molire classem: & turbidis Aquilonibus
 Properas per altum abire crudelis? cedo,
 Si non agrum alienum, domosq; Oenotriae
 Peteres, & antiquum maneret Ilium
 An Ilium peteretur undoso hoc mari?
 Mene fugis? ego per hasce lacrymas, & tuam
 Te dexteram oro (quando misere mihi aliud
 Restat nihil) per iura coniugalia,
 Per auspiciatum matrimonium: bene
 Si quid merita sum: si fuit quidquam tibi
 Dulce meum, agè, miserere labentis domus:
 Et (siquis est adhuc locus precibus meis)
 Hanc pone mentem, hunc animum tetricum
 Te propter, odère Africi gentes soli.
 Te propter, infensi Tyrii: te propter hic
 Extinctus est pudor mihi, & quae sidera
 Adire poteram fama prior. Heu me nuxum
 Inauspicatam Veiovis? cui deseror
 A te hospes? hoc quoniam mihi de coniuge

B iij

Iam

Iam nomen vnum restat inopi. quid moror?
An Pygmalio dum incenia mea destruat?
Ancipitiam Iarbas ducat in Getuliam?
Saltem aliqua de te mihi fuisset, hanc fugam
Ante, soboles suscepta: saltem paruulus
Mibi ludat Aeneas domi, qui te patrem
Tantum ore referat: non viderer vndiq;
Deserta. AEN. at ego te, quae eloquendo plurima
Numerare nouisti: haud negauerim bene
Regina promeritam: nec vnquam piguerit
Meminisse Elissae: dum memor viuo mei,
Dum spiritus regit hos aliquis artus meos.
Pro re loquor pauca, nec ego hanc abscondere
(Ne finge) speravi fugam, nec coniugis
Praetendo tadas: non in haec eo foedera.
Me si meis pateretur auspicijs Deus
Transigere vitam, & sponte iam curas meas
Componere, Urbem Troicam primum, & laeis
Colerem reliquias patrij: & ter maximi
Priami manerent alta regis culmina,
Rediuiuaq; manu condidissim Pergana.
Sed nunc Italiam magnam Apollo Delius,
Italian Apollinis iubet capeßere
Oraculum, hic amor, haec patria tellus mihi est.
Si te urbis aspectus tenet Carthaginis,
Phoenissa: si Libyae iuuat ni tor tuae:
Inuidia quae tandem haec erit, Teucrosi solo
Considerare Ausonio? Equidem & nos extera
Fas regna querere. Me patris demortui,

Quoties

Quoties operit humente nox terra plagas
Caligin:, quoties micant astra ignea,
Imago terret, inq; somnis admonet
Me puer Iulus, & capitis iniuria,
Quem regno Italiae fraudo, quem fatalibus
Spolio plagis, hic admonet: quin à Ioue
Interpres ipse missus huc (testor caput
Vtrumq;) celeres modò per auras, seria
Mandata detulit: DEVM vidi ipsemet
In lumine manifesto adire mœnia.
Vocemq; commonentis his hausi auribus.
Desine querelis nos tuis incendere:
Non sponte sequor Italùm solum. DI. tibi nec Dea
Pavens, nec autor generis ille Dardanus,
Vir perfide, sed horrens genuit hunc Caucasus
Te talem: & Hyrcanæ vbera admouerunt tigres.
Nam quid ego dissimulo misera? quæ me ad mala
Matora seruos? num meo ingemuit malos?
Num stetit oculos? num lacrymulam vllam dedit?
Num miseritum est amantis? Hæc nec maxima
Iam Iuno, nec Saturnius pater aspiciit?
Nusquam fides sat tuta, fractum littore
Excepi egentem stulta, regniq; in mei
Demens locavi parte: classem perditam
Sociosq; ab ipsa morte reuocaui: heu feris
Incensa Furijs differor. Nunc Delius
Apollo, nunc Apollinis nescio quod est
Oraculum: nunc missus à summo Ioue
Interpres affert iussa per cœles Notos.

B v

Is scilicet

In scilicet superis labor: ea scilicet
Cura est quietis. Neq; ego te teneo, neq;
Refello dicta. i. Sequere Ventis Italiam,
Pete regna per mare. Spero medijs (si pia
Quid numina valent) supplicia mox cautibus
Pelagi daturum, & nomine relictam tibi
Dido vocaturum. Sequar tamen ignibus:
Et cum gelida mors anima ab hac seduxeris
Artus Elise: adero locis umbra omnibus.
Hic improbe dabis, quam meres, poenam: audiam,
Et hec sub imum fama veniet Tartarum.
AN Quam fugis? quò te ex meo vultu abripit
Miseret profectò me furentis foemina:
Cupioq; solando dolentem celeriter
Lenire. Sed abiit, mihi Deorum citò
Iussa exequenda sunt: reuisam protinus
Classem, atq; inibo cum meis celerem fugam.

ANNA, DIDO.

Quid hoc mali: repentè quòd sic littora
Feruere prospicio: mareq; miscerier
Tantis video clamoribus? quis nunc tibi
Sensus soror quòsue gemitus misera dabis?
DI. Scelerate amor: quò non agis mortalia
Pectora? iterum me cogis ire in lacrymas:
Iterum precari: iterum animos submittere
Humiles amori. AN. Sed soror nunc ipsa adest.
DI. Germana, toto littore vides vndiq;
Properatier: iam carbasi ventos vocat:

tan puppibus nauta coronas induunt
Hunc ego dolorem si timere mea soror
Potui, etiam perferre potero. Sed misere tamen
Vnum hoc sorori exequere: solam perfidus
Te colere, soli credere arcanos tibi
Sensus: viri aditus sola molles noueras.
I quaeso soror: hosti superbo supplica.
Non ego Phrygum vires, cum Pelasgo militeo.
Vastare iuravi: nec ad murum Ilij
Miserere meas: nec Anchise patris
Cineres reuelli: cur negat demittere
Duras in aures dicta mea? quoniam vult?
Hoc misere amanti munus extremum dicit
Facilem fugam expectat, Notosque idoneos:
Non iam oro coniugium, quod ille prodidit
Nec, ut Latino careat aruo, et debitum
Regnum relinquat: inane tempus postulo:
Requiem furori: dum mea doceat asperis
Fortuna me dolere vitam casibus.
Hanc oro te extremam, soror, venians: mei
Miserere: cum dederis mihi hoc, quod flagitas
Morte cumulatam tibi relinquam largiter:
AN. At si ille nullis commouetur fletibus:
Voces nec ullas audiet tractabilis:
DI. Tenta precando. AN. Si modo valeant precata
DI. Aures viri aperiet DEVS. AN. quid si obstruat?
DI. Annosa quercus non cadit, nisi pluribus
Percussa plagis. AN. Sed nihil eadem tamen
Mouetur aere flantibus, neque sibilo

Confiteri

Confernitur. DI. contunde vocibus virum.
AN. Agè, ibo soror, & quæ iubes primùm exequar.
DI. Conuexa cæli me piget tueri:
Mori volo, si non amore perfruar.

CHORVS.

EXterrita Dido compluribus Anapesticè
Fatis, inceptum quò peragat,
Lucemq; relinquat: iam vidit,
Cum dona imponeret altari,
Dictu horrendum, latices sacros
Nigrescere: fusaq; in obscœnum
Se vertere vna cruorem. Sed &
In tectis templum est marmoreum
Coniugis antiqui, velleribus
Niueis & fronde reuinctum. Istinc
Voces & verba vocantis viri
Audiri visa tenebris, nox
Cum terras obscura tenebat.
Præterea culminibus bubo
Ferali carmine sæpe queri
Et ducere voces in fletum:
Multaq; prædicta priorum hominum
Horriſieant terribili monitu.
Agit ipse furentem per somnos
Ferus Aeneas: semperq; sibi
Sola relinqui: semper longam
Ire incomitata videtur viam:
Et Tyrios quærere deserta

TERRA

Ferra. Eumenidum veluti demens
Videt agmina Pentheus, & solem
Geminum, & duplices se ostendere
Thebas, aut ille Agamemnonius
Scenis agitatus Orestes, face
Armatam cum refugit matrem,
Furiæq; vtrices in limine
Resident. Et iam euicta dolore,
Concepit diras intra animum,
Atq; ipsa modum & tempus secum
Exigit hic, decrevitq; mori.
Spem fronte serenat, consilium
Crudele tegit vultu reprobò.

ACTVS III.

ANNA, DIDO.

Dixi futurum. Nam viri mens efferi
Inmota permanet, nec vllis vocibus
Lacrymisq; flectitur. DI. tace modò soror:
Et gratulare mihi. Viam, quæ cum mihi
Reddat, vel ipso soluat, inueni, soror.
Solem cadentem iuxta, & Oceani prope
Finem vltimum inhabitatur Aethiopum locus:
Vbi maximus Atlas torquet humero Olympium
Axem, facibus aptum micantibus. Hinc mihi
Monstrata gentis est sacerdos extimæ,
Custosq; templi Hesperidum, & horti Punici,
Que epulas Draconi peruigil seuo' dabat,
Sacrosq; ramos conserebat in arbore,

Mel

Macl humidum spargens : soporiferumq; agens
Papauer : hæc promittit animas, quas velis
Carminibus exsoluere : alijs immittere
Se posse curas : sistere fluijs aquam,
Et astra retrò vertere, & manes è specu
Cièrè nocturnos. Videbis hic soror
Mugire terram sub pedibus, & de iugis
Altissimis descendere ornos mobiles.

AN. Regina cara, quid magica paras sacra

- 6. Nullis amor curatur. Inquam cantibus:
- 6. Nullis remedijs alleuatur Thessalis:
- 6. Nil concitum rhombo iuuabit licium,
- 6. Vbi intimas amor medullas occupat.

DI. Germana cara testor hoc caput tuum

Magicas ad artes non lubentem accingier.
Nunc tu pyram secreta tecto in intimo
Erige: Viriq; arma, thalamo quæ illud scelus
Reliquit, exuiasq; cunctas, & torum
Vnà iugalem, quo misera perij, super
Impone : monumenta omnia viri pessimi
Abolere monstrat hæc sacerdos, & iubet.

AN. Quorsum pyrã iubet exstruere? DI. fabor tibi

Effusa crines hæc sacerdos ore ter
Centum tonat Deos, Erebum, & atrum Chaos
Et ter geminam Hecatem, tria ora virginis
Vocat Dianæ: mox toro effigiem locat:
Fontisq; Auerni spargit huc latices sacros:
Messasq; ahenis ad Dianam falcibus
Iam quæris herbas, cum veneni lactibus

Nascentib

Naſcentis & de fronte equi reuehitur.
Matriq; præripitur amor: tum foemina
Exuta vinculis pedem unum, in vestibulo
Adſtat recinctis, & manus ſuſſum leuans
Teſtatur inferos Deos, & conſcia
Fati aſtra: demum ſua precatur numina:
Quæ ſunt iniquo curæ amantes foedere.
AN. Intelligo ſoror: ſed his rebus nihil
Leuare amorem poteris, & curas graues.
DI. Mihi hoc erit curæ, ſoror: abi tu modo
Pyramq;, quam tuſi, ſub auras erige.
AN. Si quid iuuat, paro iuſſa. DI. facis, vt te doceat

DIDO.

EN, quid miſera agam? num priores iam preces
Elriſa ruruſus experiar? an ſupplice
Voce Numidum Regum petam connubia,
Quos ego maritos antè dedignata ſum?
Igitur Phrygum claſſes, & ultimos ſequar
Iuſſus? qui ane iuuat antè ope leuatos mea:
Et gratia veteris beneficij bene
Stat apud viros memores? quis autem me ſuadet
Quis ratibus accipiet ſuperbis foeminam?
Nescis Elifa perdita, heu nescis, neq;
Dum gentis Aſianæ vides periuriaſ
Quid tum? fuga ſola comitabor peſ fidos
Nautas ouantes! an manu omni perſequar?
Et quos Tyri vrbis vix reuelli, ruruſus hinc
Agem mariſ? ventisq; vela iterum dare

Lucchesi

Iubebo? qu' n potius morere. namq; merita es.
Auerte ferro isthunc dolorem. Tu meis
Euisa lacrymis soror: tu prima me
Istis malis oneras, & hostibus obijcis.
Quid? non licebat degere expertem tori
Vitam absq; crimine, more syluestris feræ?
Nec talibus curis, sine modo, confici?
Promissa cineri mea fides est coniugis:
Seruata non est: merita supplicia luo.

CHORVS.

Aeneas in puppi residet
Riteq; paratis rebus pigrum
Ibi somnum carpit. Nate Dea
Potes hoc casu somnos ducere?
Nec quæ circumstant discrimina
Cernis demens? neq; iam Zephyros
Spirare secundos aduertis?
Regina dolos, dirumq; nefas
In pectore versat, certa mori.
Varioq; irarum aestu fluctuat.
Non hinc præceps vel tandem effugies:
Dum præcipitare potestas datur?
Iam nunc mare turbari trabibus
Seuasq; videbis toto equore
Lucere faces: iam iam littora
Flammis feruere: si contigerit
Aurora morantem te his terris.
Eia agè disrumpemoras: Varium

Et mutabi-

Et mutabile semper foemina.
Vigilare viros nunc prospicio, &
Transtris considerare: vela citos
Solueret. Deus, ethere demissus
Ex alto, festinare fugam
Tortosq; incidere funes, iubet.
Adsis o placidus Regine
Deus, & caelo iam dextra feras
Sidera, ne tristi abitu maesta
Nimis indoleat. Sed progreditur
Huc, terq; quaterq; manu pectus
Percussa decorum, & flauentes
Abscissa comas, & lacera genas.

ACTVS QVINTVS.

DIDO.

ERgo ibit hic? quid? ibit hic? pro Iupiter.
Meisne regnis aduena hic illuserit?
Non a ma iam expedient? & e toto oppido
Sequentur? & rapiant rates naualibus?
Ite, agite, ferte citi faces, impellite
Remos, date Notis vela. Quid loquor? ubi sum?
Qua mentem agitat insania? infelix nurus
Nunc fata te Dido impia feriunt male.
Tum decuit, ubi sceptrum dabas. En dextera,
Fidesq; quem secum penates patrios
Portare dicunt: quem subiisse humeris patrem
Aetate confectum. Non corpus abreptum datur
Diellere, & vasti maris aquis immergeres

§

NON

Non nauitas, non ipsum Iulum filium
Absumere gladio, torisq; patrijs
Apponere epulandum. Sed anceps fuerat hæc
Fortuna pugnae huius, fuisset quippeni.
Moritura quem metuo? faces in hostium
Castra intulisset, facibus implestem foros,
Natum patremq; cum genere nequissimo
Exstinxem, & ipsamet dedissem me super.
Sol qui vniuersa lumine illustras poli
Terræq; opera: tuq; omnium horum conscia
Iuno malorum: tuq; Hecate plulata per vagas
Vrbes: & vltices Eumenides Deæ:
Hæc accipite: numenq; meritum aduertite
Nostris malis: audite, quas fundo preces:
Si fata Iouls hoc exigunt, si tangere
Portus necesse est hoc caput, si terminus
Hic hæret, adnare Latio Phrygum ducem.
At bellica vi pressus audacis popli,
Extorris agro patrio, flagitet opem
Aliunde: quarat auxilia: videat Phrygum
Indigna funera: neq; quum sub tetricas
Leges inique pacis olim se hostibus
Tradiderit, ipse sua fruatur regia,
Sed ante maturum diem cadat impius,
Mediaq; arena iaceat inhumati viri
Cadauer. hoc precor, hanc supremam contra eum
Effundo vocem, cum cruento sanguine.
Tum vos coloni Punici, stirpem & genus
Omne hinc futurum, odijs premite capitalibus:

Cineriq;

Cineriq; nostro munera isthac mittite:
Populis nec ullus amor, nec ulla foedera
sunt. Exorere aliquis ultor ex his ossibus
Qui Dardani genus face & ferro praenas
Quocumq; vires huc dabunt se tempore:
Hoc litus illi littori contrarium,
Fluctusq; fluctibus imprecor contrarios.
Ipsi nepotes dimicent secum inuicem.
Tucara nutrix huc sororem protinus
sisse mihi: dic properet aquis se spargere:
Pecudesq; secum ducat, & piacula
Monstrata: sic veniat. Pia tu tempora
Vitta tege: ego sacra Stygio Ioui paro:
Summumq; curis instituo finem addere,
Rogumq; Dardani capitis igni dare.
Abit haec. Ego adsum nunc remotis arbitris.
Quid restat, hunc nisi ut rogam, quem condidi,
Moritura conscendam, meosq; finiam
Letho dolores? sic agam: dum non vetor:
Dicamq; verba his vestibus nouissima.
Dulces Phrygum exuuie ducis, dulces tori:
Dum fata, dum clemens sinebat hoc DEVS,
Hanc accipite animam: his precor me exoluite
Augustijs, Sat vixi, & omnem at atula
Cursum peregi: magna imago nunc mei
Sub terram abibit, sed tamen mea moenia
Vidi prius: & urbem meam, quam condidi:
Quin & virum vlti, fratre ab inimicissimo
Penas recepi. Felix mulier, heu quater

C ij

Felix

Felix: carinae si Phrygum isthac littora
Nunquam attigissent. quid moror? nonne moriar?
Sed inultane moriar, sine omni vindice?
Age moriar. sic sic sub umbras ibimus.
Crudelis hunc oculis ab alto Dardanus
Ignem hauriat, nostraeque mortis omnia
Secum ferant Laomedo, et Iulus perfidus.

ANNA, CHORVS.

Quis clamor hic it ad alta tecti culmina?
Quis hic ululatus foemineus atque gemitus?
Magnis resonat aether supra plango:ibus,
Non aliter, ac si prisca Tyros, aut Vrbs noua
Carthago ruat. Hei, hei mihi misera: quid hoc?
Quam video? quis hic ensis cruore luridus?
O soror Elisa, quid mali hoc? quis vim dedit?
Hoc illud o germana fuit: hoc mihi rogos
Isthic parabat: hoc foci, hoc ignes sacri.
Ah quid querar primum? quid inceptem queris?
Comitem sororem spernis emoriens tuam,
Eadem vocasses me ad necis fata vltima.
Idem dolor, eadem hora vtramque tolleret.
Ah me ter et quater miserrimam omnium,
Quae manibus his struxi rogam, quae patrios
Deos vocavi voce: sic Deis volentibus
Crudelis ut te posita abessem isthac domo?
Te, meque, soror extincti, et urbem Punicam,
Patresque Sidonios. Date ut aquis abluam
Vulnera: date, inquam, aquas: et extremus super

si forte quispiam errat halitus, legam.
CHO. Desiste germanam fouere amplexibus
Atrosq; vestibus cruores tergere
Mibi vltimum curæ erit in hac herouide
Pietatis officium. Locum da. Nam quia
Nec morte promerita peruit, nec suo
Fato: sed ante diem misera iam concidit.
Nec dum comam illi vertice in flauo pia
Proserpina abstulit, caputq; tetrico
Damnauit Orco: ego dexteracrinem mea
Secabo Reginae. Igitur hunc Diti sacrum
Crinem fero, & animam relaxo hoc corpore.

FINIS TRAGOEDIÆ:

1 5 8 10

A. col. vlt. l. Corpori. B. co. 5. vers. 16. l. admorugl.

PANEGYRI

CVS DE LVDIS EQVE

STRIBVS NVPER STVCCARDIÆ

celebratis, scriptus ad illustrissimos

Marchiones Badenses: Ernestum

Fridericum, & Iacobum, Fra-

tres: suos clementissimos

Dominos.

NICODEMO FRISCHLINO.



VNC. etiam nostro referemus

carmine ludum

Circensem: res digna bonis est

visa Camœnis:

Quando Tecciaci FRIDERI

CVS sanguinis heres,

Belgarum montis dominus, iam foedere pacto

Coniugij, castæ fecit spectacula nuptæ:

Et varijs thalamo retulit solennia ludis.

MARCHICA BADA faue, princeps Erneste, pat

Ornatus cum fratre fide, comes ô Iacobe:

Prelustres animæ, diuûmq; propagine nata

Quos veræ pietatis amor, quos viuida virtus

Condecorat, placidoq; ornat clementia vultu.

Vestrum nempe decus, vestra illo fama theatro

Cruil

Creuit, & in longos iam nunc extenditur annos.

TERTIA lux igitur genialis prandia mensæ
Finierat: medium cum Sol altissimus axem
Transfret, clarum demittens lumen olympo:
Ecce tube resonant, atq; alternantia raucum
Aere cauo pulsam dant verbera: qualiter olim,
Cymbala cum quaterent Corybantes, & ara ferirent
Aeribus, insonuit ferri clangoribus æther.
Primi adsuntrubeis accincti vestibus, alta
Corpora, ductores: sequitur quos ære recuruo
Sueniacus tubicen, simul & pulsator aheni:
Omnes purpureo velati corpus amictu:
Instructi q; tubis: quas pendula lintea circum
Exornant, niueo limace inscripta, notisq;
His circumdata: AMICA DOMVS, DOMVS OPTI-
Tū tar do insequitur ponēs vestigia passu, (ma cuique.
Implicitus conche limax: non qualis in aruo
Serpit humi, & paruo protendit cornua tractus
Sed casulam referens, testæ compagibus altis,
Et laterum costis. Nam canthis acta rotarum
Intus, per medium transibat cochlea circum.
His signata notis: MATRONÆ EXEMPLAR HO-
Desuper impubis Tyrio praefulgidus ostro (NESTÆ
Sessabat puer: & comites limacis vtrunq;
Stipabant terni latus: hi discrimina septem
Edebant vocum: SEPTENÆ scilicet artes.
Grammaticæ clauum dextra tendebat: & ore
Ingeminans, reliquis monstrabat pollice Diuas.
Tum logice clauso edebat modulamina libro,

C iij Rhetoricæ

Rhetorice expasso, suavi dein Musica plectro
Tractabat chelyn, ars numerum cantabat an. ussi:
Dulce Geometricè complebat voce trigonon,
Astronome spheram digitis pulsabat eburnis:
Concentuq; omnes resonabant suauiter vno.

Intra autem costas niueæ testudinis amplas
Harmonicus concentus erat: Musæq; sorores,
Et Phæbus pater, arguto modulamine vocum,
Septenis responsa dabant simul artibus omnes.
Interea lento procedit cochleæ gressu:
Et Volucrum à tergo sequitur longum agmen equorum,
Omnes puniceï velati vestibus ostrî:
Omniibus auratæ phalææ, pretiosaq; tergo
Cingula dependent, bicolorq; in vertice crista.
Nec minus & Tyrio sessorum murice tincti,
Ornânt Arabum volitantia brachia cultu:
Flauentiq; ocrea suras & crura ligârant.
Cœruleæ manicas tunica, redimicula mitra,
Demittunt humeris: rubrumq; intermicat ostrum.
Inuentum hoc FRIDERICE tuum, clarissime princeps,

Qui te consimilem vxorem limacis apisci,
Hoc argumento non infelice, docebas.

Hos super adueniunt bis quinq; gradus ætatum;
Quorum vernantis primus complectitur annos
Bis quinos vita, & ficto per strata viarum
Fertur equo, impubes: pueriq; sin. illum a quo.
Inde valens iuuenis bis deno fortior anno,
Cornipedem stimulat, vibratq; hastile lacertis

Ardus

Ardus, & prima signans lanugine malas,
Hunc sequitur, ster dena sui qui lustra peregit
Temporis: & libro sapere exhortatur aperto:
Dum vernat sanguis, dum rugis integer annus.
Proximus á tergo validis conspectior armis,
Qui quadraginta implevit feliciter annos,
Et cui iam medij perfectus, & integer, cui
Sanguis inest: solidaeq; suo stant robore vires.
Imminet huic alius senior, natalibus actis
Qui quinquaginta, iam spargere tempora canis
Incipit, & solidas paulatim amittere vires.
Tum, qui compleuit bis sex quinquennia vite,
Tardior ingreditur, pulsus melioribus annis:
Albaq; Cygneas imitantur tempora plumas.
Post hunc, bis septem qui vita lustra peregit:
Ipse quoq; incedit, tardus grauitate senili,
Innixus baculo, pronusq; in pectore pendet.
At qui octoginta transiuit tempora mensis,
Curuus inhaeret equo, vires adimente senectae:
Vixq; manu fulcrum tremula, frenumq; retentat.
Post equitat propior fati, & frigore torpens,
Qui vitæ iam lustra nouem geminauit, inerti
Corpori inest languor, ceruix collapsa recumbit
In fragiles humeros: pluuiæ ut cum fortè grauatæ
Demittunt lasso caput alta papauera collo.
Illum sustentant fidi, conamine magno,
Hinc atq; hinc comites, & vires viribus addunt.
Ceu quando paries venturæ signa ruinae
Edidit: apta domo subduntur fulcra labanti.

C v vltimus

Ultimus in sella circumgestatur eburna,
Qui centum vitæ nuper compleuerat annos:
Non homo, sed species hominis, sed drama figura.
Membra effœta gelu, macies & luror in ore:
Lunina fronte caua, & dentes crepuere reiecti.
Atq; illum medicus, mortisq; gerebat imago,
Morti vicinum, tumuliq; in lumine, prædam.

Inuentū hoc LVDOVICE tuum fortissime ductor
Sueuicæ gentis, patri eq; labantis asylum.
Et iam per totum transiuerat vndiq; circum
Pompa recens, tardo figens vestigia passu:
Cum tandem è niuea magnus testudine ductor
Teccius, & sponsus princeps, in luminis auras
Erumpunt, trabes cincti talaribus ambo,
Et prætextati lato sacra corpora clauo,
Contectiq; caput curuo prælust e galero.
Quales septe nuir cinctus gerit ensifer olim:
Imperij aut Dapifer magnis conuentibus orbis.

Post hos Ascario genitus de stemmate, princeps
Aduenit Ernestus, genero comitatus ab vrbe
Lignitio duce: ter quinis huc vecta veredis,
Agmina. Namq; via monstrator præuius ibat,
Et vento exiguum cornu perstabat acuto.
Cui comes agglomerat latus vno tramite crudus
Mactator pecudum, lanij succinctus amictu.
Hec Italos imitata cohors, & gentis Iberæ
Vestimenta gerens, celeriq; volante veredo,
Longinquis fertur spacijs: atq; æquora circum
Cornipedem laxis immittunt vndiq; frenis.

Confissus

Consistunt tandem, & festa tellure fruuntur.

Cum subito dirum nostris mortalibus omni
Succedunt monachi, detonso vertice rasi:
Vestibus accincti glaucis, manibusq; gerentes
Serta corollarum: prisca instrumenta Papismi,
Arboreasq; cruces. it suauius amula lymphis,
Præceditq; agmen, ritumq; imitata sacrorum,
Spectantes socios pura circumtulit unda:
Spargens rore leui, & ramo felicis oliuæ.

Proximus Æthiopum venit huc equitatus, & atræ
Omnes oscillis tecti, ora latentia condunt:
Armatiq; hastis, hedera victrice coruscans
Aeripedes longi ductant circum æquora campi.
Quales Xerxes ducebant agmina bello
Æthiopes, pardo accincti, fuluoq; leone.
Et longos arcus, & tela cricuspide ferro,
Aut caprea cornu præfixum hastile gerentes:
Illita pars mimis, pars corporis illita gypso.

Inde feri subeunt Fauni, villosa virorum
Corpora, & hirsutis incincti pellibus artus,
Quas circum intexta variabant undiq; frondes.
Fæda hominum facies, & formidabilis ipso
Obtutu. Procul ò nostis, procul eijce terris
Monstra horrenda DEVS: si res tibi Teutona curas.
Talis Hyperboreo septem subiecta trioni,
Gens effrena virum Riphæo tunditur Euro,
Et pecudum fuluis velantur corpora setis:
Hic ubi sol nigras haud v. aquam discutit umbras.
Semper hyems, semper spirantes frigora Cori.

Postremi latis Sticcardæ à mœnibus adsunt,

Et caueam subeunt, toti miranda theatro
Progenies Diuum, studijsq; operata iuuentus
Ingenuis: opifex quam rerum industria laudat,
Currus erat mira manuum fabricatus ab arte,
Æmulus ætherij motus, atq; æmulus orbis.
Quattuor hic longo temone Elementa vehebat,
Sidereumq; globum, teretiq; in imagine cœlum.
Nam parte antica rutilus confederat IGNIS,
Sindone velatus Tyria, dextraq; gerebat
Thuricremum calicem, fragrans vnde halitus ibat,
Phoenix alta caput supra premit, vnicus ales:
Et nido insidit, finitq; in odoribus æuum.
At iuxta igniuomus flammam eructabat in auræ
Immani ore Draco: qualis fuit arboris olim
Aurate custos, Colchorum peruigil horto.
Ad leuam TELLVS, palla succincta nigranti,
Muraliq; caput circum redimita corona,
Sederat, inq; manu munitam turribus arcem
Prætebat ouans. Talis Berecynthia mater
Inuehitur curru, Phrygias turrita per vrbes:
Quam scutata manus Curetum stipat eantem:
Tympanaq; icta sonant palmis: atq; ærea circum
Cymbala, dat biforem sonitum caua tibia buxo.
TELLVREM iuxta est specie præsignis & ore
Cervus, & arrepta procul incitat aure Molossos.
Parte sed aduersa, rapidus confederat AER,
Cuius amœna caput volucris, dextram Iris, habebat:
Opposito qualis trahit olim à sole colores,
Et longum ingenti vestit curuamine cœlum.

ipse albus, niuea q̄; sedens in veste: rotam q̄;
Iuxta auis expansis diuerberat aërea pennis.
Ambit A Q V A huic lauam, celso q̄; in vertice piscem
Et manibus nauim, gestat. Et coerulea vestis
Corpus aquæ circum: piscis q̄; in margine currus.
In medio stellis aptus fulgentibus ORBIS
Emicat, & rapido circumrotat astra meatu
Aurea, cœrulei depicta in imagine cœli:
Et Luna, & nitidi simulacra micantia Solis;
Ipse cauus, tubicen q̄; cauo latet abditus orbe,
Et lituos inflat, sonitum q̄; foramine raucum
Edit: nec quisquam potis est aduertere, quanam
Exeat ille sonus, quouē occultetur in antro.
Tandem, ubi fœmineæ peruentum ante ora cateruæ
Emitit tubicen Varias ex orbe volucres
Stridentes q̄; extrudit aues. illa aëra nactæ
Pernici tranant spacium sublime volatu,
Alta q̄; recta petunt. Nil segnius intonat hospes
Ære cauo, ac totum clangoribus aëthera complet.
Cornipedes gemini temonem ducere iussi,
Effigiem Solis referunt, Luna q̄; micantis:
Ambo pennigeri, & cincti pernicibus alis:
Qualis Gorgoneus transibat nubila cœli
Pegasus, & celeres quatit in aëre pennas.
Atq; hos TEMPVS equos, sapiens auriga, regebat:
Omnia falce metens, accinctus falce minister:
Et mortem vultu referens, gestat q̄; superno
Vertice signantes horarum tempus arenas.
Quattuor à tergo currus per prata sequuntur

Adm

Admirandi equites: magni pars quilibet anni:
Ver, Aestas, Autumnus, Hyems. VER tegmine corpora
Indutum viridi, & cinctum florente corona:
AESTAS puniceo velata decenter amictu,
Ibat ouas animis, & spicea ferta ger ebat.
Pone subit flauo AUTUMNVS velamine cinctus,
Pampineasq; gerit sublimi in vertice frondes:
Atq; racemi feram ostendit spectantibus vuam.
Post glacialis HYEMS, canos hirsuta capillos,
Insequitur, petasum villis horrentibus altum
Induta: & dense gestans velamina pellis.
Pruna viro ante manus, qua duri frigora Cori
Pelleret, eq; gelu squalentia tolleret ora.
Vestrum hoc Marchiadae diuina ex arte repertum,
Vestra hoc mentis opus, vestra haec est machina laudis,
Machina sidereos imitata haud segniter orbes.
At medios inter manno Silenus agresti,
Ridiculis equitat frenis. Namq; ora retrorsum
Verterat: & verso tendebat in aequora tergo.
Huic petasus longo circum farci mine septus,
Et vitris plenus: totoq; a pectore pendet
Urceolus, vino oppletus: peraq; lagena
Praestat, & ipsa repleta, vicem: tum lata placenta
Communit dorsum, pro scuti umbone retorto.
Ocrea saccus erat, pedis ambo fulcra sicelle,
Tympana item situla: quas alternantibus apte
Pulsabat manibus, clangorem imitatus aheni
Consequitur risus cauea totius, & alti
Clamores hominum superas tolluntur in auras.

Iamq; omnes circo steterant, certare parati;
Quis melior dextra possit tractare sub ala
Hastile oblongum: quis prendere certior orbem
Suspendum medio, torta de cannabe, circo:
Cornipedem quis equum frenare, & ducere gyros
Aptior, aut valido telum vibrare lacerto.
Sed tamen hoc omnes vicit certamine princeps
Sponsus, & antiquo apposuit sua premia lucro.
Nemo illum potuit capta superare sarissa,
Nemo orbem melius rapere, aut contingere ferro.
Haud minus & princeps consanguinitate propinquus
Dux VVirtembergæ certamine victor eodem,
Egregiam retulit laudem, & spolia ampla suorum,
Crateres solido argento, cyathasq; corusco
Fulgentes auro, dederant quæ munera victi.
Post ubi belligeros hos finijt arealustus:
Armatos fecere choros, certaq; vagandi
Textas lege fugas, inconfusosq; recursus,
Insonuere tubæ: partitis inde cateruis,
In varios docto discurritur ordine gyros.
Ceu quondam Phrygius Troiam ludebat Iulus
Littore Trinacrio, & pugne simulacra ciebat.
Nunc hos nunc illos cursus, aliosq; recursus
Impediens, textasq; fugas, & prelia ludo.
Nec morâ regificæ consumunt fercula cœnæ,
Instituuntq; sacras veteri pro more choreas.
Præmia scæmineus sua dat cursoribus æqua
Cætus, & emerita victorem fronde coronat.
hic primum, LVDOVICE tibi fortissime, munus,
Teccia

Tecciacum dux magne datur: quod stragula vestis
Quod picti alipedes ostro, phalerisq; superbi
Omnibus antecessent toto super equore campi.
Altera Marchiade merito data premia vobis,
Mirum propter opus, mentisq; reperta sagacis.
Namq; hic ingenij documenta dedistis, & artis
Eximie specimen: quod vobis optima cura
Sint studia, & magno has artes in honore locetis:
Qualis Alexander Sophiae precepta sagacis
Condidicit: summiq; pependit ab ore magistris
Naturae rimatus opes, atq; abdita rerum:
Quis DEVS, vnde ignes, quo mundi machina mota
Vivat, & immensum quae ducat semita Solem:
Quae minuat Lunam: tumidos quae causa recursus
Nutriat Oceani: quae fracta tonitrua vento.
Quippe has Pelleus, ductor fortissimus, artes
Ingenio dignas magno, Regiq; potenti
Censuit esse aptas. Nam quomodo mens altior extat,
Hoc maiora sapit: recteq; ad sidera vultus
Tollit humo, & veras patriae procul aspicit arces.
Tertia palma fuit Friderico tradita, Montis
Belgarum domino: qui tot superauerat hostes
Dexteritate manus valida, celeriq; veredo.
Gratia sit Friderice tibi, clarissime, princeps,
Hac etiam, nostro quam soluunt nomine Muse,
Texentes aliam nunquam moriente coronam
Flore: quod ingenuas ornasti his lusibus artes.
Nam quantum aetherij placeant tibi numinis artes,
Hoc argumento docuisti, doctus & illas,

Et quomodo

Et quondam illarum faciles moderatus habenas.
Perge bonas artes, princeps Friderice tueri,
Et cole litterulas. Nisi enim doctrina super sit,
Ingenuæq; artes: idem tua cippus habebit
Nomina, qui corpus modica tumulabit arena.

Quarta dies medium postquam transisset Olympum:
Acrati veniunt pedites, longasq; sarissas
Expediunt humeris. Princeps Fridericus ab arce
Ingentem festa protrudit in arma cohortem,
Omnes coeruleis velati femina braccis:
Aurato circum quas ornat purpura limbo.
Tympana pulsa sonant, & acuto tibia cantu,
Inde omnes noto subeunt tentoria vallo,
Expectantq; suos longis mucronibus hostes.

Alter adest peditum ductor Ludovicus, arenæ
Tecciææ custos: quem pulchrè ornabat amictus
Discolor: astrictis circum sacra femina braccis.
Quales succingit pubes Heluetia duris
Artibus, & flavis religat sub poplite vinculis,
A tergo pendent, atq; alto vertice, cristæ:
Tympanaq; Ionium referunt hoc verbere carmen:
Age miles, pede forti, fer in hostem
Leue signum, cape telum, decet vnâ,
Pede iuncto, dare plagas inimicis:
Neq; quicquã facere illis reliquũ: sed
Capere, ruere, trahere, rapere: sinite ge-
mere,
Fremere: quatite, rapite, trahite simul
omnes.

D

Tertius

Tertius Ascaniæ ducit magna agmina gentis
Punico ornatos pedites, atq; colore,
Et niueo, ac totidem gestantes vertice cristas.
Jamq; illi pede collato, Mauortia tela
Alter in alterius clypeato pectore frangit:
Et strictis errant gladijs sua tempora circum.
Hinc instant telis, hinc strictis ensibus adsunt,
Agglomerantq; sibi litem, & mauortia densant
Agmina: cum tandem fumanti sulphure carcer
Incensus, rapido pugnantem dissipat igni.
Præius hic ingreditur donis Fridericus oliua
Hesterna cuiunctus, palmaq; triumphat equestri,
Victor eques, victorq; pedes, clamore secundo.
Nec minus enituit vestra hoc certamine virtus,
Marchiadæ, & merita tulit altera premia palma.
Interea vino liquidus fons profluit albo,
Et rubro, geminisq; mærum siphonibus orca
Infundit: patula saliens sub tegmine pomi.
Huc pueri atq; senes, huc omnes undiq; matres,
Conuenere: sitimq; sibi fecere bibendo:
Mirati Ambrosio manantem nectare fontem.
At gladiatorum validis manus incluta dextris,
Nuda humeros, medium procedit in æquor, & hostes
Marcigenus magnis in pugnam prouocat ausis.
Non hic arma petunt galeatæ tempora frontis.
Non clypeo tegitur pectus, non ærea suta
Defendunt pugilis latus: omnia membra resecta
Verberibus patuere suis: dant verbera vulnus:
Deq; cruentato destillat vulnere sanguis.

Ac tandem

Ac tandem merito pubes Teccæ triumpho
Exultat victrix, spolioq; potitur honore.

Protinus alata sponsus certare sagitta
Inuitat, qui forte velint: & premia ponit
Ingentem taurum, pretioso murice tectum:
Cornibus auratis: illi palearea mento
Plurima dependent: maculisq; intermicat albis:
Et gradiens ima verrit vestigia cauda.

Tum viridi pictam cultu ter duplicat ornum,
Atq; altè summos æquantem vertice turres,
Erigit: ac volucrem traiecto in fune columbam,
Quò tendam ferrum, ligno suspendit ab alto.
Conuenere viri: & deuctam pinea sortem
Accepit situla: Hic primus clamore secundo
Qui locus exiuit, primus sua tela tetendit:

Illum omnes reliqui, sua fors ut cuiq; sequuntur.
Tum validis flexos incuruant viribus arcus
Pro se quisq; viri: & depromunt tela pharetris,
Amentoq; aptant, ac læuo lumine clauso
Apponunt malis, oculosq; & missile tendunt
In volucrem iaculum. It nervo stridente sagitta
Ocyor, & tenues altè diuerberat auras.

Hic princeps, iam dudum arcu contenta parato
Tela tenens, notam Ludouicus arundine missa
Figit auem: & ferro percussam deiecit alam:
Continuò ingenti sonuerunt omnia plausu.

Post etiam Ernestus, veteris moderator Anhalti,
Ascanie princeps, adducto constitit arcu,
Alta petent, iaculumq; leues contorsit in auras:

D ij Ostenditq;

Ostenditq; artem pariter, arcumq; sonantem.
Nec minus & Ioachimus auem petit alite ferro,
Lignitius princeps: iam iamq; volatile telum
Librat ab aure, manusq; amentis addere tentat,
Et nigra immotam figit sub nube columbam.
Principis hoc etiam sponsi certamine telum
Emicuit: Volucris cum fregit arundine collum
Alitis, & ruptum signauit vulnere pectus.
Vos quoque Marchiadæ cornuq; leuésq; sagittas
Corripuistis, & erectam torsistis in aluum
Huius auis: sonitara dat stridula cornus, & auras
Certa secat, Volucremq; ferit, qua sutilis aluus
Iuncturas laterum nullo contignat hi atu.
Soluta auem caelo demum deiecit ab alto
Eslingæ cuius, taurôq; potitur opimo,
Et pretium dextræ, socijs plaudentibus, aufert:
Nec quisquam è nu nero vicini inuidit honori.
Inde petunt aulam socij coenamq; reuisunt,
Et leti indulgent epulis, & pocula ducunt:
Tunc armata venit mirando musica canu.
Namq; hastis aliqui, gladijsq; & acinace Medo,
Sclopetisq; Viri accincti, modulamina vocum
Armis edebant. Hæc Sueuæ pleetra iuuentæ:
Hæc sambuca viris: hic nostræ barbitos ore,
Inuentum Danneræ tuum: qui pollice docto
Phebeas nosti nunc olim tangere chordas.
Iamq; diem sero vesper claudebat olympo,
Inuolueus Umbra terram: cum cincta fauillis
Exercet rapidas pubes Vulcania flammæ.

Aer erat in magni fabricata crepidine cirei:
Quadrato constructa situ quam quattuor a rotas
Turricula teretes, extremaq; mœnia iungunt.
In medio rarris cœlo fastigia tollit,
Sulfureis armata globis, facibusq; coruscis,
Perq; leues auras passim volitante fauilla:
Iucundum visu, simul audituq; tremendum.
Quinq; decemq; intus iaculorum millia, & ingens
Horribili ore Draco, qui postquam pectore suo
Concepit flammam, celsa volitavit ab arce,
Tecta petens altæ turris: nigraq; fauilla
Incendit culmen: quod protinus igne recepto
Concidit, & rutila traxit cum luce ruinant.
Haud alius fragor existit cum Trinacris Ætna
Flammaram eructat moles, auulsaq; montis
Viscera, & horrendis expirat faucibus ignes.
Aut cum Nolanos atræ fuligine flammæ
Vesuvius implet agros: Lycioq; in rure Chimæra
Expuit è rapidis cineres fumumq; caninis,
Postera lux iterum medijs transacta theatri
Lusibus, & celeri certatum ritè sagitta.
Pars etiã mimo illius concessa diei:
Cum pater in scenam ductus, de more, Thobæus
Inuenit uxorem nato, Raphaelis amici
Numinibus magnis, visumq; receptat ademptum.
Sed postquam mense cœnarum, epulæq; remotæ,
Vespere iam claudente diem: tunc Mulciber atris
Accinctus faciibus, denos coniecit in orbem
Vndantem cum luce globos, atraq; fauilla.

Ordine quemque suo, rapidus furit ignis in vnda
Atq; inter sese pugnant humentia siccis,
Et calidum gelido: perq; atria longa feruntur
Igniti volucres, similes serpentibus Afris.
Tum duo luctantur pugiles, seseq; fauillis,
Sulfureoq; petunt igni: & iam mutua iunctis
Vulnera dant dextris, & flammis faucibus essant.
Quin etiam gemine spaciosa per atria tecti
Aduenere rotæ: quarum vna vehebat agrestem,
Impositum radijs, sociâ cum vxore, colonum:
Altera Vestalem Monacho cum fratre sororem.
His etiam rutilas pubes Vulcania flammâ
Admouet, atq; omnes implet fuligine partes.
Haud mora sulfurei vis incita pulueris ignis
Exercet varios amborum in corpore ludos:
Rusticus hinc flammâ ex ore eructat hianti:
Illinc ignitos crepitus è podice mittit
Rustica: & alternis ludunt duo corpora flammis:
Hoc Monachus facit, hoc mulier Vestalis, & anu
Interdum ardentes, interdum ex ore, fauillas
Emittunt, rutilisq; implent longa atria flammis.
Exoritur fremitusq; virû n, plaususq; tuentû n:
Festâq; letifico complentur limina rifu.
Inde choros iterum exercent, larvataq; tuba,
Comædos imitata, nouæ spectacula ponnæ
Exhibet: & mirros longo facit agmine ludos.
Fœmineus grex primus adest, atq; ora nigranti
Oscillo textit, croceo velamine corpus.
Ambit circa humeros cyclas argentea: longis

EXORIAS

Exornata pepelis : tegit altos mitra capillos.
Proxima succedit crudorum turba gigantum.
Aetnæi fratres, cælo capita alta ferentes,
Atq; oculos torui, & vestiti corpora villis,
Trunca manum pinus regit, & vestigia firmat.
Pòst intrant Monachi, nudato vertice rasi,
Funibus accincti rigidis, bardoq; cucullo.
Inde grues adsunt, equitesq; in tergo gestant,
Clangorem edentes (dictu mirabile) vocis.
Arcubus armati sessorum spicula tendunt:
Inq; suos mitunt hostes : tum fortè gigantes
Aggressi illi equites, immania corpora vincunt:
Et captiua trahunt : ac longo vincula collo
Inijciunt. Sic Strymonia pugnasse feruntur
Pygmaeos contra, & celeri transisse volatu
Aethera cum sonitu: & vento fugisse secundo.
Vertitur interea cælum : suadentq; soporem
Astra poli : & strato lecti iam quisq; reponit
Membra sua : ac placida dat corpora sessa quieti.
Etiam finis erat, tempusq; hortatur ituros,
Ut patriam repetant, atq; hac tellure recedant.
Nobis hic etiam suscepti meta laboris,
Atq; optatus erit geniali in carmine finis.
Vos ô Marchiada, quos longum vivere fas est,
Idem hic fortunet DEVS, aspiretq; secundo
Flamine Marchiadum naui : ut labentibus annis,
Tempore ab hoc paucis, similis fors Marchidos oram
Excipiat: cum tu nuptam fortissime princeps

Erneste

Erneſte in thalamum geniali foedere duces:
Hoc reor, ſi quid veri mens augurat opta.
Tubingæ Idibus Iunij. 82.

Lectori.


Si quid in exiguo poteris culpæ libello,
Hoc excuſatum tempore lector habe.
Hos ego cum facerem tenues ex tempore verſus,
Auritus teſtis, non oculatus eram.


C. colum. 14. verſu. 22. lege, per egi, lagenda





TUBINGÆ.

Apud Alexandrum Hockium. Anno. 1582.















Th
5859